Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 311
Quelle:
Copyright:

ad Philipp. ad Coloſſ. ad Philem. ad Titum, ubi tamen nihilo plus quam in *edit. ſuprac.* ut adeo querelae de mutilis hujus *Epiſtolae* Commentariis, quam Editor *fol.* 287. tollit, e noſtro *Cod.* mederi nequeamus. Finem facit *Epiſtola ad Hebraeos*, quae et ipſa tamen in iis ad C. 13. verbis: *beatus petrus hortatur dicens chriſtus paſſus eſt* — abrumpitur. Ut vero initium etiam *Codicis* adponamus, incipit ille: *A Chorintho Civitate Metropoli Achaię Regionis. ſcripſit apoſtolus paulus romanis* &c. Id ceterum peculiare habet, quod in uſum fortaſſis Oratorum ſacrorum titulis Capitum plerumque adſcriptum ſit nomen Dominicae aut Feſti cuiuſpiam, quod nempe talis Capitis materia pro concione illa die habenda ſubſervire queat. *Commentaria* Noſtri *in Apocalypſin* indicantur *Cod.* CCLXXXIII.

CXVII. VIII E. 3.

352 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 100. f. per duas columnas ſcriptus, variisque in locis ope marginum ſubpletus in ipſa Theca exteriore: *Gloſe magiſtri Giſilberti in paulum apoſtolum*, *fol.* vero et *p.* 1. *Gloſata* vel *Gloſatura magiſt. Giſilberti in paulum apoſtolum* inſcribitur. Atque hac ipſa voce utitur *Albericus* Monach. in *Chron.* dum ait *Gilbertum* (Giſilbertum, Gislebertum) *Romae laudatum fuiſſe, quod correctus* (ob opinandi licentiam) *feciſſet minorem Gloſſaturam continuam in Pſalterium et in Epiſtolas Pauli.* Quod addit: *inſequendo dicta Beati Auguſtini et alia, quae recipiuntur*, manifeſte probat, de noſtro praeſenti *Commentario* Sermonem ei fuiſſe; quamvis enim ex *Ambroſii* etiam, *Origenis* et *Hieronymi* dictis conflatus ſit, maximam tamen paginam *Auguſtinus* facit. Eſt vero *Gilbertus* hic famoſus ille *Pictavienſium* Antiſtes dictus *de Porreta* a. 1154. vivis exemtus, de quo copioſe *Oudinus* T. II. *col.* 1276. Opus illius, quod prae manibus habemus, utut ſcripta non deſint Exemplaria, quae in *Lelongii Bibl. Sacra*, *Montefalconii Bibl. Biblioth. Mſs.* et ipſo *Oudino* habes, typis nunquam expreſſum putem, idque ideo, quod pene nunquam propriis verbis utatur Autor, PP. dicta recitare contentus. Codex unus e tribus, qui in *Catal. Bibl. Reg. Pariſ.* P. III. T. III. p. 299. indicantur, *Oudino* teſte incipit: *Sicut Legis ita et Evangelii* &c. ex quo infero, Exemplo noſtro *Praefationem* deeſſe; initium enim ejus eſt ab Exordio *Epiſtolae ad Romanos: Paulus Servus* &c. *More ſcribentium epiſtolas premittit ſalutationem* &c. Deficit in Expoſitione *Epiſtolae II. ad Timotheum* c. 3. his verbis: *errantes ipſi et alios in errorem mittentes. Quales ſunt qui ſe ad temptationes non parant ſed huius ſeculi felicitatem* — —.

CXVIII.